





*Q. F. F. Q. S.*

DISPUTATIO PHYSICA

*De*

**TONITRU  
HIEMALI,**

*Quam-*

AUSPICIIS GRATIÆ DIVINÆ  
IN VICEM POSTERIORIS

**PRO LOCO**

In Amplissima Facultate Philosophica

Academiæ Lipsiensis  
consequendo,

IN ACROATERIO MAJORI

*Die XIIIX. April. A.O.R. M.DCCV.*

PUBLICE EXAMINANDAM PROPONIT

**M. HENR. LUDOVICUS  
WERNHER,**

Rotenburgo-Francus,

---

LIPSIAE,

Typis BRANDENBURGERIANIS.

*24.*

*33.*

*1805, 8*

# DISPUTATIO PHYSICA

СОВАМ СИЯНТАОЛДА И



J. J.

S. I.

**T**onitru à tonando vel tonum iterando dici, ipsum etymon innunit; conf. *Sperling. Institut. Phys. L.V. C. VII. Precept. 8.* Unde vero iste tonus aut sonus originem ducat, de eo non unam apud priscos & que ac neotericos Philosophos invenias sententiam. Et veterum quidem alii spiritum, ajebant, inflammabilem per frigida ac humida-cum impetu discurrentem tam horrendum sonum edere; plane ut ferrum igni immersum non nisi magno cum murmure extinguitur. Alii præcipuam in aerem conjiciebant causam, qui vehementiori motu accensus, densos compactosque nubium sinus dissipet, & tremendum tam violenta spississimum corporum diruptione fragorem excitet. Aliquis istud phœnomenon è lapu ignis ætherei in subiectas nubes deducendum videbatur, quod ignem putarent nubibus impactum frigidis sonare, quas cum discindat & penetret, fulgere, minoremque vim ignium fulgura, majorem fulmina creare. Nonnulli tonitrua quædam igni, quædam spiritui vindicabant; & ab igne quidem ea docebant provenire, quæ ignitum adventus sui nuncium, fulgor puta, præmissent: quæ vero absque coruscatione creparent, ad solum spiritum referenda esse. Vid. prolixius de his differentem *Senecam Quest. Nat. L. II. C. XV. XVII. XIX. XX.*

S. II.

Plerorumque hæc erat sententia, quod exhalationes calidæ & siccæ æstu solis è terra in altum elevatae intra nubium moe-

nia concludantur, cumque frigidi, quo circumseptæ sunt, elementi naturam ferre nequeant, sed eidem acrius subinde repugnant, ac oblucentur, ex illa acriori pugna & resistentia tonitru exoriri; idque vel raucum & continuum, si æqualiter latera & concavitates nubium quatiantur, vel acutum, si halitus conglobatus, effractis claustris, uno impetu prorumpat, & in terram præcipitetur. Quamvis iidem Philosophi in diversas denuo distractherentur partes, causam explicaturi, unde sit, quod effluvia intra nubes contenta & coacervata ignem concipient, fulguraque postmodum & fulmina emittant; dum flammam alii ex vehementiori aeris vibratione, alii è crebriori radiorum solarium reflexione, alii è celerrimo exhalationum motu & agitatione, alii è particularum ætheris ignitarum destillatione, alii aliunde enasci, perhiberent. Conf. Seneca, c. Plinius Histor. Nat. L. II. C. 51.

Aristot. Meteorolog. L. II. C. VIII.

### §. III.

Mirum autem videri non debet, quod Veteres, si quando illustre hoc & abstrusum de tonitru argumentum sibi pertractandum sumissent, graviter ubivis hallucinati sint, & vel falsa plane, vel generalia duntaxat protulerint. Cum enim artis pyroholica & tormentaria, naturam tonitru admirando prorsus effectu quam felicissime imitantis, egregieque illustrans, nulla vel exigua admodum indicia tum extarent, ac præterea insita nitri & sulphuris virtus, cui stupendum istud phœnomenon originem suam magna ex parte debet, ignota pene esset, non poterant non in suspenso ancipitique hærere, ac inextricabilibus implicari difficultatibus.

### §. IV.

Neotericorum de tonitru ortu hypotheses studiose collegit, nervoseque complexus est B. Sturmius in *Dissert. de Fulmine & cognat. Tonitr. ac Fulg.* hab. Altdorf. 1696. Plurimis hæc fedet opinio: Vapores nitrosos & sulphureos in altum calore sublatos commisceri invicem, sensimque in nubibus condensari; accensione autem per agitationem ventorumque fatus facta, nitrum, quod flammarum sulphure conceptam ferre nequeat, cum

impetu diffilire, violentaque nubium & aeris circumfusi ruptura ac displosione tantum strepitum fragoremque parere. Quod ad liquidum perducitur, si quis meminerit, ex qua materia pulvis pyrius præparetur, quemve effectum edat: constat vero ac in vulgus notum est, confici eundem ex sulphure, nitro & carbonibus. Sulphur excipiendo igni inservit, unde coruscatio; nitrum ignem fugiens repentina dilatatu; suo aerem violenter verberat ac dilatat per vim elasticam se paulo post restituentem, unde frager & sonus; carbo denique adhibetur, ut flammam longius alat & foveat. Quod si igitur similis materia sulphurea nitrosoque ad nubes deferatur, quin parem producere possit effectum, nullum videtur dubium. Conf. Kipping. *Instit. Phil. Nat. L. V. C. VI. §. 8. 9.* Sennert. *Epitom. Phys. L. IV. C. II. &c.* qui eundem uia à woda sequitur, Sperling. *Instit. Phys. L. V. C. VII. Quest. I.*

§. V.

Omnium tamen speciosissime originem tonitru ex eo deducit *Cartesius*, quod cum plures nubes, tabulatorum instar, unæ aliis superstratae sunt, interdum contingat, ut superiores calore paulatim condensatae ponderosioresque factæ fese demittant, & cum impetu in inferiores delabantur, ita quidem ut ex, quæ altissimo pendebant loco, primæ descendentes alias, quæ in via occurrunt, deturbent, & secum rapiant, donec omnes simul magno frager & sonitu in inferiore nubem ruant. Eodem modo in Alpibus circa mensem Majum se vidisse, ait, vi solis calefacta nive & ponderosiori reddita, minimum aeris motum subito magnas illius moles devolvisse, quæ in vallibus resonantes satis bene tonitru sonitum imitatae sint. Addit *Cartesius*: Ex hoc solo, quod partes nubium superiorum vel omnes simul decident, vel una post aliam, vel tardius vel celerius, vel quod inferiores majores aut minores, crassiores aut tenuiores sint, & magis aut minus obnitantur, facillime omnes diversos tonitruum sonos effici posse. *L. de Meteor. C. VII. §. 5. 7.* Subscribunt sententiæ huic cum aliis, tum ex Ecclesiæcorum numero Duumviri Celebratissimi, Job. Bapt. du Hamel, de Meteor. *L. I. C. IV.* Job. Christoph. Sturmius, *Compend. Phys. Erotemat. p. 533. seqq.* & in laudat. *Disputat. C. II. & III.*

## §. VI.

Adjuncta tonitrii sunt fulgur & fulmen; utriusque origo aliunde rectius peti non potest, quam à diversitate exhalationum spatum illud, quod binas nubes interjacet, occupantium, & à vario nubis superioris in inferiorem lapsu. Si enim magnus aestus & siccitas præcesserit, verba sunt ejusd. *Cartesii l.e. §. 8.* atque ita hoc spatum exhalationes copiosas, maxime subtileas & ad concipiendum flammarum aptas continent, superior nubes fere tam exigua esse nequit, nec tam lente descendere, quin, impulsu aere inter se & inferiorem medio, fulgur aliquod elidat, id est, flammarum levem eodem momento enascentem. Atque ita tum hujusmodi fulgura cernere possumus, nullo omnino tonitrus murmure exaudito, interdum etiam nubibus non ita densis, ut conspici possint. Contra vero si nullæ in aere exhalationes inflammationi idoneæ adsint, boatum quendam tonitrus audire possumus, nulla coruscatione apparente. Et cum superior nubes non nisi per partes se mutuo consequentes delabitur, vix quidquam aliud quam fulgura & tonitrua producit. Sed cum tota simul satis velociter decidit, potest etiam turbines & fulmina generare &c. Quæ vero in sequentibus de lapide fulminari ejusque generatione scribit *Cartesius*, non omnino nobis probantur. Neque enim indubiam haec tenus rationem vidimus, qua induceremur ad credendum, quod corpus istiusmodi & crassissimum & ponderosissimum, quale est lapis fulminaris, intra nubes procreetur. Aut enim successiva est illa generatio aut momentanea? Sed neutrum affirmari potest; non prius, quasi particulæ terrestres, acutæ, oleosæ ac bituminosæ sensim intra nubes concreserent, & tandem calore satis diu multumque concocta in massam lapidemque durissimum coalescerent; quæ *Kippingii* lententia est, *Instit. Phys. L. V. C. VI. §. 15.* Quodnam enim cuncti hoc modo producti erit fulcrum? quodnam sustentaculum, quo minus deorsum feratur, prohibens? Nubes, inquis? hæ vero cum raram & tenuem habeant naturam, transiit facile concedunt, & gravissima quæque absque nisu transmittunt: vel si omnino condensatae aliquantum sint, spissioresque factæ, tanto tameq; operi

neri

neri ferendo longe impares esse, quotusquisque non intelligit? Sed nec venti, ut multi sibi persuadent, id præstant. Evidem admiranda ventorum vis est, adeo ut maximæ nonnunquam molis corpora loco moveant, ac in altum haud exiguo cum impetu propellant, ibidemque aliquandiu sustentent: quod si vero, cœlante fœvientis cœli intemperie ventorumque violentia, tranquillus sit, ut sœpe est, pacatusque aer, quid tum lapidem ceraunium contra naturam suam in alto, suspensum detinebit? quid eundem à descensu arcebit, & eo usque in media aeris regione asservabit, quoad exorta tempestate, cum fulmine in terram dejicitur? Qua difficultate ne premerentur, alii momentaneam lapidis ceraunii generationem cum *Cartes. l.c.* statuere ac defendere maluerunt. Sed nec hoc verisimile est, quod, dum accenduntur & in terram ruunt exhalationes, momento, imo momento citius, lapis tam grandis, tam durus & solidus nascatur. Et si vel maxime reliqua omnia non essent, hoc solū ramentum istius productionem suspectam reddere poterat, quod lapis, ut ponderosiora corpora quæque, ex alto demissus & cum impetu projectus, linea recta ferire soleat; exemplo globorum tormentis bellicis explosorum evidentissimo: jam vero si ædes, si faxa, si arbores & cum primis quercus fulmine percussas proprius inspexeris, haud raro cœtum non rectilineum, sed vagum, vorticosum & cochleare deprehendes; idque indicio est certissimum, stragem talem à lapide aliquo, utpote cuius natura est, via ductuque recto obvia quævis prostertere, editam non esse. Plures pro destruendo cuneo hoc fictitio rationes suggesterit *Sturmius Compend. Phys. Erotet. p. 539. seqq. Add. Watsonius Coll. Phys. Disputat. II. & Robart. Phys. Quadrup. P. III. c. 16.* Quomodo autem nudus fulminis halitus accensus & in glomeres minutissimos subito commutatus omnia, quæ cernimus, & quæ lapidi fulminari vulgo tribuuntur, phœnomena efficere queat, idem *Sturmius l.c. ex Gaffendo* prolixe ac ingeniose demonstrat.

### §. VII.

Hactenus de tonitru ingenere. Jam ad specialiorem tonitru hiemalis considerationem progredimur. Illius vero non aliam

13  
aliam, quam quæ æstividi solet, afferendam censemus causam; nec est, cur miraculum hic cum superstitione plebe singamus, omnino sive & naturæ limites transcendens phænomenon pronunciemus. Causam vero mere naturalem huic meteoro brumali subesse, tanto magis patet, si meminerimus, quidnam æstate tonitrua fulminaque creerat; idem enim si & hieme sece exerat, quin eundem tum produci effectum, naturaliter possibile sit, dubitari nequequam potest. Constat autem ex ante dictis, quatuor potissimum partes ad progenerandum naturaliter tonitru concurrere; primo terram, qua vaporess effluviaque inflammabilia exhalat: secundo solem, qui exhalationes calore rarefactas attollit: tertio nubes, quæ in altum sublatos halitus partim concludunt, sinuque suo fovent, partim superioris in inferiorem lapsu murmur fragoremque excitant: quarto aerem, cuius percussio præcipua soni causa est, eundemque ad aures nostras transmittit. Quod si igitur nullum ex commemoratis requisitis brumali tempore deficere, ostenderimus, & illud, opinor, in proposito erit, tonitrua, si qua exaudiantur hieme, naturales non nisi agnoscere causas.

§. VIII.

Et nubes quidem ac aerem, quæ ultimo à nobis ponebantur loco, hieme & que ac æstate præsto esse, multa probatione haud eget. Maxima difficultas circa demonstrationem primi, quod exhalationes inflammabiles diximus, requisisti occurtere videtur. Cum enim gelu poros & meatus terræ obstruat, liberumque halibus exitum præcludat, materiam forte credas efficiendo naturaliter tonitru hiberno tempore deesse. At enim vero, ut taceam, quod mitior sèpe & quodammodo vernans media hieme ingruat tempestas, frigusque, cum intensissimum ac accerrimum est, de suo rigore crebrius haud parum remittat, & hac ipsa remissione poros terræ geluante concretos aliquantum laxet, transitumque faciliet, quantocunque etiam humus riguerit frigore, non ita tamen constringi & comprimi potest, ut nulli inde halitus emittantur. Siquidem ignis subterraneus, qui eo etiam tempore, quo frigore cuncta rigescunt, vim suam exerit,

va-

varia subinde effuvia spargit; & insensibiliter, quinimo quan-  
doque & sensibili modo eructat. Unde asperima nonnun-  
quam hieme densi vapores & halitus è terra ejusque pro-  
fundioribus locis surgere observantur; idque hoc frequentius  
evenire solet, quo feracior humus nitri sulphurisque fuerit. Sic  
*Hamelius de Corp. Affect. L. I. C. IV. §. 10.* ex *Morino* refert, in Hunga-  
ria fodinis ex secunda, ut putat, terræ regione, quam semper  
calidam eo loco ferunt, exhalationes sèpius cum impetu &  
accensas interdum atque flammantes erumpere hiemali tem-  
pore. Quare adjicit laudat *Hamelius*: Forte hinc tonitrua,  
fulmina & alia meteora, qua hieme subito fermentur, ex iis  
causis potius, quam ex solis calore duci posse.

§. IX.

Ratio autem, cur hiberno tempore loca subterranea  
impense calida deprehendantur, hæc cum primis subest, quia,  
confrictis gelu terræ meatibus, exhalationes interceptæ se  
se colligunt, collectæque calorem fovent; hinc postea fit, ut,  
si major alicubi materia inflammabilis detur copia, cum im-  
petu ascendant, superatoque frigore resistente, in liberio-  
rem se vibrat aerem. Scholastici Doctores, quos hac in par-  
te & Philosophi alii sequuntur, causam invalescentis hieme  
caloris subterranei ~~et~~ afferunt. Est autem ipsis  
*definitio Jac. Thomas. Phys. C. XIX. §. 3.* cir-  
cumfessio qualitatis activæ contrariae, quando scilicet vel in-  
ternus calor circumcidetur ab externo frigore, vel internum  
frigus ab externo calore; tum enim internam, inquiunt, qua-  
litatem, velut fugitiram hostem externum, in se ipsam cogi,  
& coarctari, quo pacto ipsam necessario augeri, cum vis u-  
nita fortior sit dispersa. Sic hiemali tempestate calorem in  
fornicibus cellisque vinariis, quia circumfans undique frigus,  
ceu adversæ suæ naturæ elementum, maximopere abhorre-  
at, in arctum cogi, intensiusque reddi, non secus atque frigus  
in iisdem æstate à calore obfessum adaugeatur: Pari modo  
& fontes aquas puteales, fervente licet æstu, frigidas in-  
veniri, ob caloris frigiditatem ceu hostem propellentis ac in-

13  
angustius spatum comprimentis vehementiam: quin & mediam aeris regionem non aliam ob causam perfrigere, quam quod à regionibus binis extremis, utrisque calidioribus, circumsepta sit: exhalationes quoque nubibus, quæ frigidioris sunt essentia, interclusas incalefcere, flammamque concipientes fulgura & fulmina efficere. At enim vero licet decentata hæc in scholis ἀντιπεριστοι, si rite explicetur, & ad idonea exempla applicetur, non prorsus forte repudianda sit: plerorumque tamen phœnomenorum, quibus enodandis ea vulgo adhibetur, & quæ à nobis ex parte modo memorata sunt, origo longe altius, quam ab ista ἀντιπεριστοι. repetenda venit; id quod præclare ostendit sæpe laudat. du Hamel de Corpor. Affec. L. I. C. IV. §. 9, 10, 11. Addat. Sperling. Inſit. Phys. L. IV. C. VI. Quæſt. 9. Quamvis, quod Sperlingum concernit, omnino miremur, cur ἀντιπεριστοι, quam degenerem cerebri humani prolem appellat, propugnatores tam falso perstringat, & tam operose confutet; cum ipse revera eandem tueatur sentientiam, & verbis duntaxat dissentiat. Ait enim, non ἀντιπεριστοι, sed contrariorum fugam in causa esse, cur corpora calida ob frigidorum, & frigida ob calidorum præsentiam arctissimis sese constringant vinculis, vimque fortiorem nanciscantur. Quid vero ἀντιπεριστοι, quæſo, sibi aliud vult, quam quod qualitas à contraria qualitate conclusa & oppressa, fugam velut adornando, retrocedat, spirituumque intra contextum materiæ sparsim latentium collectione intendatur?

§. X.

Quemadmodum igitur certum est, aliquas subinde è terra quantumvis glacie obducta exhalationes prodire: Ita novum circa earundem elevationem oritur dubium. Siquidem constat, quod non nisi in altum sublatæ nubibusque conclusæ effectum edant, tonitruisque generandis inserviant. Æstivo tempore solis calore rarefactæ haud ægre in sublime ferruntur; hiberno autem, quo exilem valde & debilem solis calorem notamus, quam elevationis causam constituemus?

Hæ

*Hamelius*, ut paulo ante dictum, effluvia putat hieme ignis subterranei vi sursum propelli: ego vero calorem solis non plane excludendum existimem; licet enim admodum hieme diminutus sit, rarefaciendam tamen & in altum evehendis corpusculis minutissimis, ab igne cum primis subterraneo adiutus, sufficere potest, non intensissimus praeceps astus requiriatur. Quid? quod, si nimius is fuerit, generationem tonitruum, & que ac frigus rigidissimum, magis cohipeat, quam promoveat; rationem reddit *Plinius Histor. Nat. L. II, C. LII.* hieme & astate, inquit, rara sunt fulmina contrariis de causis. Cum hieme densatus aer nubium crassiore corio spissatur, omnisque terrarum exhalatio rigens ac gelida, quicquid acceptit ignei vaporis, extinguit. Quae ratio immunem Scythiam & circa rigentia à fulminum casu praestat, & è diverso nimius ardor Aegyptum. Siquidem calidi siccique halitus terra raras admodum tenuesque & infirmas densantur in nubes. Vere autem & autumno crebriora fulmina, corruptis in utroque tempore astatis hiemisque causis. Qua ratione crebra in Italia fulmina, quia mobilior aer, mitiore hieme & astate, nimbosa semper quodammodo vernal vel autumnat. Italiæ quoque partibus iis, quæ à septentrione descendunt ad teporem, qualis est urbis campaniæ tractus, juxta hieme & astate fulgurat, quod non in alio situ. Hactenus *Plinius*.

*s. XI. EZONISLAQ OOMINATI MENO*

In nostris terris frequentissime tonat astate, rarius vere & autumno, rarissime hieme. Causa hujus raritatis, pro varietate diversarum de tonitu generaliter spectato hypothesis, varia reddi potest. Omnim felicissime Cartesiani se hic expedient. Cum enim tonitru doceant à nubis superioris calore sensim condensata ac soluta in inferiorem lapsu oriri, ratio, cur, saviente hieme, tam rara exaudiantur tonitrua, ipsis in promptu est; quia nimurum non adeo facile tum calor nubibus dissolvendis sufficiens ad superiores usque pertingit. Reddit equidem hiberno etiam tempore exhalationes terra inflammabiles, sed magnam earum partem

circumstans frigus extinguit & perimit, sic ut ægre ea ad mediam aeris regionem ascendant copia & multitudine, qua in sublimi pendentes nubes commovere & ad descensum invitare possint; quale tamen obstaculum minori cum difficultate vere & autumno, ob mitiorem coeli temperiem, removetur: unde & crebriora tum, quam hieme, observantur tonitrua. Conf. Cartes. Meteor. C. VII. §. 6. & Anton. le Grand In�ir. Phil. C. XXII. §. 3.

13  
S. XII.

Cum igitur naturæ opus sit tonitru brumale, & causam nec super nec præternaturalem agnoscat: liquet, quantum à vero deflestant, qui meteorum hoc ignitum, si quando in hiemem incidit, vel immediate ab ipso Deo, seu causa proxima, effectum prodigiosum producente, casusque futuros singulari omne significante, provenire, vel ab operazione Geniorum, Dæmonum maxime, descendere arbitrantur: Et classe horum est Bodinus, cui fulmina & tonitru à ~~dæmoni~~ <sup>in dñm dñs</sup> deducenda videntur, tantumque abest, ut naturalem hibernorum originem admittat, ut ne quidem astivis tam adscribi velit; L. II. Theatr. Nat. p. 209. seqq. Unde generaliter fulmen definit, quod sit inflammata exhalatio geniorum ope agitata, & à superioribus potestatis deorsum dejecta, cum ingenti fragore & tetrorimo sulphuris odore. Sed quam stramineo paradoxa hæc sententia nitatur fundamento, & quam crassæ rerum naturalium ignorantia Auctorem reum agat, absque negotio intelliget, qui allata eam in rem argumenta vel fugitivo perlustraverit oculo. Quid enim à ratione magis alienum est, quam quod inquit, tonitru quia sæpe, scissis & disruptis à flamma nubibus, audiatur, sæpe contra fulgur, non subsequente tonitru, conspicatur, colligi inde posse, tonitru, non à fragore nubium, sed à violento Dæmonum motu pendere. Si enim ob fragorem & disruptionem nubium tonaret, semper nos tonitru, quoties ruptæ sunt igne nubes, percepturos, & quidem eo non nisi tempore, quo nu-

bibus cœlum est obductum: cum tamen utrumque factum sit; quoniam & sine ulla nubibus cœlo nonnunquam sereno tonet, &, fractis licet à flamma nubibus, nulla tonitrua crebris exaudiantur. Quid? quod tenuis & mollis nubium substantia satis comprobet, non posse eas tanto cum impetu scindi, & tam horrendum fragorem edere? Quare tandem, re veluti penitus evicta, addit *Bodinus*: Neminem tam hebetem, tam cœcum fore, qui communem sententiam ac rationes sine risu audire possit. At enim vero dum cœcos *Bodinus* dicit, qui absurdæ hypothesi sua ron adstipulantur, ipse stuporem ac coecitatem suam aperte prodit, qui caliginem clarissimæ luci affundere conetur, & quæ naturalia sunt opera in præternaturalia imperite commutet. Dubia ab ipso mota facile solvuntur. Et causam quidem, cur tonet interdum, non præcunte fulgere, & contra ea fulguret, non sub sequente tonitru, evidentem ex *Cartiso* dedimus §. VI. Quomodo autem naturaliter fieri possit, ut, cœlo etiam sudo & à nubibus purgato, tonitrua oriuntur, exponunt *Kipping*, *Instit. Phys. L V. C. VI.* §. u. & *Sperling*, *Instit. Phys. L. V. C. VII.* Quæst. I. Quamvis cum nubes maximum ad generationem tonitruorum momentum afferant, non existimem ego, omnem tum, ubi tonat & fulgurat, nubecularum deficere apparatus, licet oculis nostris, quos longius intervallum multoties fallit, forte inconspicuae sint: quin & aures nobis quandoque imponunt, ut, quæ longinquo fiunt tonitrua, propinquaque & tantum non capiti nostro imminentia putemus: unde, si nullæ tum apparent nubes, multi imaginantur sibi, cœlo tonuisse sereno; Conf. *Francisci in Circulo Aereo s. Mundo sublun. Discurs. 17.* & 18. de Tonir. Stridor & murmur tonitru non tam à disuptione nubis, quam à lapsu superioris in subjectam inferiorem provenit; nec quicquam confusa nubium raritas obstat. Nubes enim è sublimi lapitura, loquor cum R. *Sturmio Compend. Eoretum. Phys. p. 33.* supponitur jam multo condensior, quam ea, quæ in aere adhuc suspensa natat: & ad so-

nitum ejusmodi obtusum, qualis est tonitru, non requiri magnam densitatem, multo minus soliditatem aut duritatem corporum ad se invicem allisorum, cū linteaminum expansorum subitanea per aerem nudum excusso, tum aquarum in cataractis delapsus in alias subjectas ingentes strepitus ac susurros excitans docet: tormentorum quoque tonitrua, naturalium amula, non nisi latam quandam ac celerem aeris ab halitu pulveris pyri factam dislosionem supponunt.

§. XIII.

Illud autem valde ridiculum est, quod Bodinus ait, odorem sulphuris a casu fulminis sparsum certissimam diaboli arguere presentiam; idq; eam ob rationem, quia Dæmon, quoties cum mancipiis copuletur, foedissimum sulphuris odorem relinquere soleat. Inepta sane consequentia! quasi nempe corporeus Dæmon esset, quem materia sulphuris odorata afficeret ac delectare possit. Si quando malignus spiritus cum foetore discedit relieto, id non est ab ejus natura, quia tali, quam materia sensumq; corporeorum expertem novimus, sed a fôrdida corporis ad tempus assumti sustantia provenire, valde probabile videatur. Recliqua Bodini argumenta examinare super sedemus, quod & levia sunt, & ab aliis dudum explosa. Carterum haudquam negamus, varie Dæmonem, ut multa in perniciem generis humani moliri solet, circa tempestates, ac adeo etiam tonitrua, brumalia non minus quam aestiva, occupatum esse: non quod immediate quicquam ex nihilo producere valeat, sed dum principia tempestatum in aere jam pene prostantia perite conjungit, & actiua passibus quam celerrime applicat; idque non ordinarie, sed extraordinarie, nec pro ipsius arbitrio, sed secundum Numinis divini, ceu summi rerum naturalium Rectoris ac Arbitri, voluntatem & specialem certisque limitibus circumscriptam permissionem.

§. XIV.

Tristes & calamitosos tonitrua brumalia post se trahunt.

re eventus, communis fama est ; eaque opinio non in animis  
solum vulgi, quem pro levitate sua rem quamque levissimam  
in omen vertere videoas, sed & eorum, qui majorem sapientiae  
laudem affectant, defixa haeret. Et inter mala quidem, quæ  
portendant, ac vel eo ipso anno, vel non ita multo post  
eventura commentantur, alii luem contagiosam, alii annonæ  
caritatem, alii incendia ædium, alii Principis mortem famili-  
æque illustris extinctionem, alii bella cruenta, alii terra per  
infecta vastationem, alii alia referunt. Quod pluribus ex his-  
toria collustrat exemplis *Francisci in Circul. Aereo, Discurs.*

17. de Tonitr.

§. XV.

At non magis tonitrua hiemalia, quam quæ æstate au-  
diuntur, ominosa putamus. Causæ utrinque subsunt natu-  
rales. Portentum vero, ubi natura partes suas exequitur,  
citra credula superstitionis notam, effingere non licet : vel  
si omnino singulare quid effectus naturalis significare debe-  
at, de expressa Dei voluntate constet, necesse est. Sic Iri-  
dem in signum foederis divini, diluvioque non amplius im-  
mittendi universalis nobis datam esse, ad credendum nemo  
induci posset, nisi specialiori id revelatione divinitus edociti  
essemus. Nuspiam vero in S. Literis tonitrua hiberna, ceu  
extraordinarios iræ divinæ præcones peculiaria terris mala de-  
nunciantes, observare, & suspicere jubemur.

§. XVI.

Recte equidem & præclare agunt homines, cum pri-  
mis terræ filii, quos altior securitatis somnus oppressit, si to-  
nantis & fulgurantis coeli fragore expergescati exhorrescant,  
Deumque tam stupendo, utut naturali, opere certissimam  
sui cum existentiam tum immensam potentiam luculentis-  
sime comprobantem supplices reverentur, seque ab Athe-  
ismo & Epicureismo abducí patientur : Quomodo tota mun-  
di fabrica objective nos ad metum & cultum Numinis divi-  
ni excitat, varia eaque indubia infinitæ sapientiae, potentiae

3c

ac justitiae divinae argumenta nobis suppeditando. Verum  
sicut facile largimur, virtutem istiusmodi paedagogicam irati  
Numinis sceleratos non impune dimittentis iustitiam vindici-  
cativam nobis indirecite proponendi ac inculcandi in toni-  
truis pariter latere: Ita pro singularibus ea, si hieme exori-  
antur, prodigiis certarumque calamitatium Regioni immi-  
nentium indicibus habenda esse, confidenter negamus. Aut  
enim malorum futurorum causae sunt physicæ, reali quodam  
influxu illa efficienes? Aut arbitraria duxtaxat signa, qua  
ex instituto Dei, quam dura terris impendeant fata, præsi-  
gnificant? Sed neutrum meretur assensum. Non prius;  
quia influxus ille qualis sit, & quo modo cum effectu cohæret,  
nulla nec rationis nec veritatis specie explicari potest:  
Non posterius; quoniam manifestatio voluntatis divinae,  
quoad hæc præfigia, deficit, nec ullum indicium extat.

S. XVII.

Sed experientia, inquiunt, pro nobis militat. Siquidem  
longiori observatione compertum est, nunquam ullum post  
hominum memoriam britanni tempore notatum esse toni-  
tri, quin ferale postea & funestum orbi, ob emergentem  
graviorem aliquam adversitatem, deprehensum sit. Verum  
gratis hæc clamitant. Ultimum omnis superstitionis perfu-  
gium & asylum est experientia: eam pro se allegabant etiam  
Auspices & Arioli veteres: eodem velo nuditatem suam  
hodierni Vates, Astrologi, Geomantistæ, Chiromantistæ, hu-  
jusque farinæ homines alii contegunt; & cum artis, quam ja-  
titant, indubias vel saltem probabiles rationes reddere ju-  
bentur, his deficientibus, præter experientiam, quod obver-  
tant, nihil habent; idque jam sua cætate observavit Henr.  
*Corn. Agrippa*, gravissimus superstitionis in vaticinando  
censor. Solent, inquit C.XXXII. de *Incertitudine & vanitate*.  
*Scientiar.* omnes illæ divinationum prodigiosæ artes non nisi  
experienciarum titulo se defendere, & se objectionum vinculis

ex-

extricare, quoties aliquid supra fidem ac praeter rationem  
doceant, pollicenturque.

§. XIX.

Non equidem ii sumus, qui omnem experientiam nullis  
munita rationibus fidem derogare velimus in foro physico;  
admittenda omnino ea est, modo non sit aliena, sed nostra:  
non perfundatoria, sed accurata: non fallax, sed certa: non  
varians, sed constans atque perpetua; prout belle monet  
*Samuel Werenfels. Prof. Basiliensis, in Dissertat. de superficie in rebus*  
*physicis.* Ast quam imperite, quam praeponere experientia  
ad evincenda tonitru hiemalis præsigia applicatur! Tot sa-  
ne sortem humanam urgent mala, tot casus circumstant  
adversi, ut, quounque cœlum intonet tempore, nunquam,  
si superstitione litare velimus, defutura sit, quæ illuc trahi  
queat, calamitas. Nec video, cur non eodem jure tonitruo  
quoque astivo vis significandi futura adscribi possit: nihil  
utique interest, nisi quod illud rarius, hoc frequentius exau-  
diatur. Sola profectio hujus phœnomeni raritas, cujus tam  
naturalis, quam supra exhibuimus, prostat causa, in stu-  
porem & admirationem animos rapit, deque instantibus an-  
xios reddit; tantoque magis, quod incredibili quadam impen-  
dentes per noscendi casus cupiditate flagremus; neque enim  
praeterita solum & præsentia curamus, sed &, pro intempe-  
titiva sollicitudine nostra, in futura inquirere, &, quæ post lon-  
gam demum annorum seriem xtas fert, multo ante vatici-  
nando occupare volumus. Unde tot divinationum genera  
jam olim inventa, in tantum successu temporis excrere  
numerum, ut singula commemorantem dies pene defectura  
sit; quo de fusius egimus in ultima Disputat, nostra *de Incer-  
ta futurorum contingent, Præscientia.*

§. XIX.

Procul dubio autem vana haec & superstitionis ex to-  
nitru hiberno ominandi, deque ambiguo futurarum rerum  
exitu conjectandi ratio è Gentilium, sua cum aliunde tum

C

toni-

13

è tonitru cumpbris & fulgurè auspicio sumentum, lacunis  
hausta est. Ita *Seneca Ques. Nat. L. II, C. XXXII.* fulmina, in-  
quit, futura portendunt, nec unius tantum aut alterius rei  
signa dant, sed sèpe totum fatorum sequentium ordinem  
nunciant, & quidem decretis evidentibus, longeque clariori-  
bus, quam si scriberentur. Idem *Seneca C. XLVII.* ex Etru-  
scorum disciplina tradit, triplicia dari fulmina; alia esse per-  
petua, alia finita, alia prorogativa. Perpetuorum significa-  
tionem in totam vitam pertinere, nec unam rem enunciare,  
sed contextum rerum per omnem deinceps ætatem futuram  
complecti. Huc referenda esse fulmina, quæ prima accepto  
patrimonio & in novo hominis aut urbis statu fiant. Finita  
ad diem respondere. Prorogativa denique appellari, quo-  
rum minæ differri possint, averti tollique non possint. Pa-  
riter ex fulminibus quædam esse, quæ significant id, quod ad nos  
pertineat: quædam aut nihil significare, aut id, cuius in-  
tellectus ad nos non perveniat. Ex his, quæ significant, quæ-  
dam esse lata, quædam adversa, quædam nec adversa nec la-  
ta. Adversorum has esse species: aut inevitabilia mala  
portendere, aut evitabilia, aut quæ minui possint, aut quæ  
prorogari. Lata aut mansura significare, aut caduca. Mix-  
ta aut partem habere boni, partem mali: aut mala in bonum  
aut bona in malum vertere. Nec adversa nec lata esse, quæ  
aliquam nobis actionem significant, qua nec terrori nec la-  
tari debeamus, ut peregrinationem, in qua nec metus nec  
spei quicquam insit; qua omnia latissime à *Seneca L. c.* expo-  
nuntur. *Add. Plinius Hist. Nat. L. II, C. LIV.*

### S. XX.

Quam irritus autem & stolidus hic superstitionisimo-  
rum hominum fuerit conatus, quod è tonitru fulminisque  
casu prædicere, futurorumque significacionem quætrere alla-  
borarint, saniores Ethnicos altius rem omnem perpenden-  
tes nequaquam latebat; idque vel solius *Ciceronis* totum  
hoc

hoc conjecturale genus eludentis, & ceu vanum ac inane  
commentum rejicientis exemplum edocet ; Conf. de Divi-  
nat. L. II. C. XIX. seqq. Hic vero brevitatis studiosus filum  
Dissertationis abrumpo, Tibique, Summe DEus, praestiti in  
pertexendo hoc opere auxili grates, quas possum ac de-  
beo, pie decerno,

T A N T U M !

Decas Corollariorum.

I.

Philosophiam Sectariam Philosopho indi-  
gnam omnino judicamus.

II.

Veritati nequaquam consentaneum vide-  
tur, quod atomi constituant materiam pri-  
mam.

III.

Conceptus positivus de Spiritu non potest  
formari.

IV.

Anima rationalis non habet sedem in toto  
homine, multo minus vero dici potest,  
quod tota habitat in qualibet parte to-  
tius.

V.

V.

Falluntur, qui perhibent, nihil esse in intelle-  
ctu, quod non fuerit prius in sensibus.

VI.

Sensus, si cætera sint paria, non fallunt.

VII.

Animæ spiritualitas ex lumine nat, certo de-  
monstrari nequit.

VIII.

Ne ἀνάλογον quidem rationis Brutis compe-  
tit.

IX.

Dæmonibus miracula edendi potestas adscri-  
bi nequit, quippe quæ soli D E O pro-  
pria.

X.

Dæmones tonitrua & tempestates excitare  
possunt.



V





Leipzig! Diss. 1705-06  
X 2309461





33  
1805,8

Q. F. F. Q. S.  
DISPUTATIO PHYSICA  
*de*  
**TONITRU  
HIEMALI,**  
*Quam*  
**AUSPICIIS GRATIÆ DIVINÆ**  
**IN VICEM POSTERIORIS**  
**PRO LOCO**  
**In Amplissima Facultate Philosophica**  
**Academiae Lipsiensis**  
**consequendo,**  
**IN ACROATERIO MAJORI**  
*Die XIIIX. April. A.O.R.M.DCCV.*  
**PUBLICE EXAMINANDAM PROPONIT**  
**M. HENR. LUDOVICUS**  
**WERNHER,**  
Rotenburgo-Francus.

LIPSIAE,  
Typis BRANDENBURGERIANIS.

24.